

## Příloha

### *Praecepta amoris*

- I. Avaritiam sicut nocivam pestem effugias et eius contrarium amplectaris.
- II. Castitatem servare debes amanti.
- III. Alterius idonee copulatam amori scienter subvertere non coneris.
- IV. Eius non cures amorem eligere, cum qua naturalis nuptias contrahere prohibet tibi pudor.
- V. Mendacia omnino vitare memento.
- VI. Amoris tui secretarios noli plures habere.
- VII. Dominarum praeceptis in omnibus obediens semper studeas amoris aggregari militiae.
- VIII. In amoris praestando et recipiendo solatia omnis debet verecundiae pudor adesse.
- IX. Maledicus esse non debes.
- X. Amantium noli exsistere propalator.
- XI. In omnibus urbanum te constituas et curialem.
- XII. In amoris exercendo solatia voluntatem non excedas amantis.

### *Regulae amoris*

- I. Causa coniugii ab amore non est excusatio recta.
- II. Qui non zelat amare non potest.
- III. Nemo duplici potest amore ligari.
- IV. Semper amorem crescere vel minui constat.
- V. Non est sapidum quod amans ab invito sumit coamante.
- VI. Masculus non solet nisi plena pubertate amare.
- VII. Biennalis viduitas pro amante defuncto superstiti praescribitur amanti.
- VIII. Nemo sine rationis excessu suo debet amore privari.
- IX. Amare nemo potest, nisi qui amoris suasionem compellitur.
- X. Amor semper consuevit ab avaritiae domiciliis exsulare.
- XI. Non decet amare quarum pudor est nuptias affectare.
- XII. Verus amans alterius nisi suae coamantis ex affectu non cupit amplexus.
- XIII. Amor raro consuevit durare vulgatus.
- XIV. Facilis perceptio contemptibilem reddit amorem, difficilis eum carum facit haberi.
- XV. Omnis consuevit amans in coamantis aspectu pallescere.
- XVI. In repentina coamantis visione cor contremescit amantis.
- XVII. Novus amor veterem compellit abire.
- XVIII. Probitas sola quemque dignum facit amore.
- XIX. Si amor minuat, cito deficit et raro convalescit.
- XX. Amorosus semper est timorosus.
- XXI. Ex vera zelotypia affectus semper crescit amandi.
- XXII. De coamante suspicione percepta zelus et affectus crescit amandi.
- XXIII. Minus dormit et edit quem amoris cogitatio vexat.
- XXIV. Quilibet amantis actus in coamantis cogitatione finitur.
- XXV. Verus amans nil bonum credit nisi quod cogitat coamanti placere.
- XXVI. Amor nil posset amori denegare.
- XXVII. Amans coamantis solatiis satiari non potest.
- XXVIII. Modica praesumptio cogit amantem de coamante suspicari sinistra.
- XXIX. Non solet amare quem nimia voluptatis abundantia vexat.
- XXX. Verus amans assidua sine intermissione coamantis imaginatione detinetur.
- XXXI. Unam feminam nil prohibet a duobus amari et a duabus mulieribus unum.